Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1721
Quelle:
Copyright:

fortaſſis ex illuſtri *Hoferorum* in *Bavaria* colentium ſtirpe, qui laborem ſuum *Mariae Annae* Filiae *Guilelmi* Religioſi *Bav.* Ducis, et *Ferdinandi* Archid. *Auſtr.* poſt Imp. II. Conjugi ſacrum voluit et ſignavit: *Actum Aigenn am tag des heiligen Erzengels Michaelis, welcher iſt der 29. Septembris Im Jar* 1606. Tria obſervo: *Vivis* autoris nomen nullibi memorari a Traductore; interpolari quibusdam locis Opus, et hanc rationem *fol. ſupracit.* reddi: *Das aber etliche ſchöne exempel ſo jünger ſein gemeldet werden, iſt diſes ain vrſach, dieweill ich mit diſen, an ortten, da ſichs gereumbt hat, bemeldtes Opus zu uerbeſſern mich entſchloſſen habe;* demum videri, ignoraſſe *Gattium*, Opus iſtud non multo ante jam germanice a *Cph. Brunone* V. J. Lic. redditum, typisque *Egenolphianis Francof.* 1566. c. elegantibus figg. xylographicis f. inſcriptum fuiſſe *M. Jacobinae Badenſi*, quae in *Guilelmi* Conſtantis pariter *Bavariae* Ducis toro fuit. Dixi videri; tota enim Verſio noſtra a *Brunoniana* abit. Meretur ceterum haec *Vivis Inſtitutio*, ut paullo plenius, quam apud ſingulos Literatores reperias, de ea tradatur. Ut editionem principem *Baſil.* 1538. 8. habeam, adduci nequeo. Belgicam praeceſſiſſe plusquam vero ſimile; quomodo enim jam Verſio hiſpanica *Valentiae* typis *Georg. Coſtillae* 1528. f. prodiiſſet? Itaque *Brugis* a. 1523. quo, ut ſupra dixi, ad *Angliae* Reginam miſſa eſt, etiam excuſam autumo, quamvis Exemplar videre non contigerit. Sequatur jam praedicta editio *Baſil.* 1538. et *Francofurtana*, itidemque *Baſileenſis* 1613. 8. Quoniam vero alteri Sexui ſcriptus fuit Liber, hiſpanice converſus prodiit, ut dixi, *Valentiae* 1528. f. tum *Caeſaraug.* 1555. et *Pinciae* ſeu *Valliſoleti* 1584. 8. italice *Venetiis.* 1546. 8. gallice *Lugd.* in 16. *Antverp.* in 8. et ex alia verſione apud *Joh. de Tournes* 1580. 16. De verſionibus germanicis jam actum eſt. Anglicae meminit *Nic. Antonius* in *Bibl. Hiſp. nova*, quin tamen excuſam memoret. Demum lingua primitiva Inſtitutio haec cooptata eſt in T. II. *Opp.* omnium *Vivis Baſileae* 1555. f. Hunc porro nec ſuo defuiſſe Sexui docet Codex ſequens.

DCCXX.

Codex chartaceus germ. Sec. XVII. Folior. 203. f. eodem nitore perſcriptus Verſio eſt Libri *Viviani de Officio Mariti.* Interpres idem *Joh. Jac. Gatt*, qui laborem hunc ipſi *Ferdinando* Archid. *M. Annae* Marito ex eodem Loco, *26. Dec.* 1600. dedicat, ſincerum ſe religionis catholicae cultorem, pauperem quidem, ſed nobili loco natum, ſervitiique archiducalis cupidum profeſſus. Innuit praeterea, Libri cujusdam a nato Duce et quondam *Hildeſienſi* Epiſcopo vernacule compoſiti Verſionem in latinam linguam ſe meditari; in eo vero graviter hallucinatur, quod Opus praeſens R. 324

primo